



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm Vlt. Dudum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

2. *Naturalis coniunctio sanguinis inter personas valde propinquas tollit suspicionem incestus.*
3. *Superior ex delatione, aut rumore orto à maleuolis, non debet procedere ad inquisitionem super crimine, maximè contra personam excellentem, neque ad purgationem canonicam indicendam.*
4. *Potest tamen occultè inquisitionem instituere super ipsa fama & credulitate.*

**1** **Not. I.** Ex dignitate & privilegiis personæ collatis præsumptio fieri potest de virtute eius.

**2** **Not. II.** Naturalis coniunctio sanguinis inter personas valde propinquas prohibet suspicionem aut præsumptionem incestus. *c. penult. de cohabit. Clericorum & mulierum.*

**3** **Not. III.** Et si superior ex delatione aut rumore orto à personis maleuolis procedere non debeat ad inquisitionem super crimine præsertim contra personam excellentem, secundùm glossam receptam *in cap. Qualiter. 24. verb. Ad inquirendum de accusat.* neque ad canonicam purgationem indicendam, *c. Cum in iuventute. 12. de purg. canon.* Potest tamen occultè inquisitionem instituere super ipsâ famâ & credulitate, quid videlicet vicini censeant de isto rumore, & num credant verum esse, sicuti *Joan. Andreas & Abbas hic notant*, & dicitur iste processus super præparatoris iudicij.

### CAPITVLVM VLT.

## Dudum.

#### PARAPHRASIS.

Innocentius III. mandauerat Archidiacono Mediolanensi, vt C. scholarem, si idoneus esset à Presbytero Ecclesiæ S. Victoris in beneficiatum recipi curaret, sed Presbyter præter reddituum tenuitatem insuper obiecit, quòd dictus C. ad beneficium eius Ecclesiæ idoneus non esset; quare cum hinc orta esset controuersia, eam Papa quibusdam delegauit, hoc adiciens ob clausulam adiectam rescripto

Apostolico, si persona idonea est, nequam ipsi incumbere onus probandi, cum quisque idoneus esse præsumatur, donec contrarium ostendatur.

#### SUMMARIUM.

1. *Exceptio subinde opponi potest per vim dilatoria & peremptoria.*
2. *Impetrans rescriptum non tenetur probare qualitates, requisitas nisi extrinsecas seu adscitas, v. g. in Academia studuisse, Doctorem esse &c.*
3. *Consuetudinis est, vt promouendus ad beneficium de legitima natiuitate aut morum integritate testimoniales literas, aut testes producat.*

**Not. I.** Eadem exceptio quandoq; opponi potest per vim dilatoriæ, declinãdo iudicij iurisdictionem, aut executionem executoris, si quis dicat rescriptum esse obreptitum, vt videre est *in hoc cap. verb. Declinans*, & iterum per vim peremptoriæ post litis contestationem, dicendo impetrantem non habere qualitates requisitas in rescripto, & idèd data gratiæ esse incapacem. ita *Abbas hic n. 4.*

**Not. II.** Impetrans rescriptum, non tenetur probare requisitas in eo condiciones, si pro se iuris præsumptionem habeat, cuiusmodi est quòd sit bonus, castus, legitime natus, irregularitate, alijsve defectibus liber, donec contrarium ostendatur, extrinsecæ tamen seu adscite condiciones ac qualitates probandæ sunt v. g. in Academia se studuisse, Doctorem aut Licentiatum esse, sicuti docent *DD. vbi gloss. verb. Scientia. de elect. in 6.*

De intrinsicis quoque qualitatibus videlicet morum integritate, corporis sanitate inquirere ad promouentem pertinet, tametsi nulla infamia, aut sinistra suspicio antecedit, sed ita, vt si post inquisitionem non appareat vitium aut defectus, præsumptio fiat pro integritate, vt hinc dicitur. Adde quòd in Ecclesiis consuetudo vigeat, vt nemo ad beneficium promoueat, nisi de legitima natiuitate aut morum integritate testimoniales literas aut testes afferat.

TITV.